

*exemplar. Quæ inter se quantum distent, haud iste scriptor animadvertit.* (2) Buitus.

MCCXXXVI. Roxenatus Puteo-Bonellus Mediolanensis iterum Præturam egit in Civitate, tumque altera populi, & communis discordia, quæ jam altas radices egerat, exorta fuit, & quo inde duo Consules designantur. Ruffinus Guasus, & Carolus Rainaldi, quo tempore summa familiarum (1) facta fuit conversio, & plurimos motus, quos hic recensere opportunum non arbitror, nec ex historia dignitate.

(1) *In MS. familiaritas.*

MCCXXXVIII. Obertus Vicecomes Placentinus Præturam gessit, quo anno Alexandria maximum detrimentum passa fuit. Sunt qui existiment illam captam fuisse a Federico secundo Imperatore designato, & Siciliae Rege, quod recusaret fidelitatis juramentum subire; hoc etiam anno diutissime eclipsavit.

MCCXL. In amicitiam rediit Alexandrina respublica cum Imperatore Federico secundo.

MCCXLI. Gullielmus Marchio Boschi in expeditione fuit adversus Genuenses cum Martino Ebulo in Lombardia Legato, ut auxilium Macaratis ferret (nomen seditiosorum erat) civitatis Genuæ, qui cum Ticinensibus, Alexandrinis, Derthonensibus, Vercellensibus, Novariensibus, Albensibus, Aquensibus, Cassinensibus, & Montisferrati Marchionibus concesserant. Ii Uvadam usque agrum longe, lateque percurrerunt, ac in Porceveræ vallem descenderunt, eorum impetum non retardante Bastia, quam in monte Capitisferri Genuenses extruxerant. Quo etiam tempore Obertus Pallavicinus Imperatoris in Lunetana regione Legatus maximo militum (1) numero, atque Malaspinæ Marchiones (2) manu armata montem Rubeum usque penetrarunt, & Vernatium, minitantes se Besagnum (suburbium est Genuæ) adoritarios, adversus quos nonnullos equites castri Rapalli, Clavaris, Sexti, & Levanti Genuenses miserunt; verum Pallavicinus pedem retulit, at Genuensium Prætor cum gregariis auxiliis, & populo Genuensi recta via adversus Martinum properabat, & cum Martini auxiliariis manus conferuit, qui coacti relictis duabus aquilis fugæ se mandarunt.

(1) *Castrorum forte Comitum.* (2) *Marchionibus.*

MCCXLII. Adhuc inter Genuenses, & Imperatorem bello certabatur. Alexandrini cum multis Lombardia Civitatibus, & Marchionibus Boschi Imperatoris partes tuebantur.

MCCXLV. Imperator Federicus secundus ab Innocentio quarto Pontifice Genuensi (Simbaldus Flicus ex Comitibus Lavagnæ antea appellabatur) in Lugdunensi Concilio excommunicatur, ac imperio, & regno Siciliae deponitur, qui ut contra Mediolanenses exercitum compararet, Alexandriam se recepit, quamvis non bene populus Alexandrinus in illum animatus esset.

MCCXLVII. Iterum Alexandrini castrum, & oppidum Capriatæ intempesta nocte ut occuparent, agrediuntur, sed cum res minime successisset opera Martini Azabaroti, qui tunc oppido præerat, re infecta regrediuntur.

MCCXLVIII. Odoardo (sine cognomine) præturam Alexandrinam agente castrum sancti Salvatoris per Alexandrinos capitur, & oppidum Luci obsidetur, quo tempore gens Lanzavecchiarum plurimum vigeat.

MCCL. Obertus Canis præturam gessit Alexandria, quo tempore Lanzavecchiarum gens cum Putea, & Guasca pacem percussit, cum superioribus annis complures inter easdem viguissent discordiæ. Eodem anno Meladium, & Bestagnum in ditione Montisferrati posita Manfredo Marchioni Lanzæ dantur (*forte ab Alexandrinis*), qui communibus consiliis, & armis Montemferratum adoriuntur, maximam vim prædæ nacti, plura damna Bonifacio Marchioni Montisferrati intulerunt.

MCCLI. Paganus Puteus, & Jacobus Lanzavecchia consules civitatis Alexandriae extiterunt.

MCCLII. Iisdem, qui supra consulibus, illi de Burgo capiuntur. Innocentius IV. Pontifex, ut evitaret Federici secundi minas, Roma Alexandriam advenit. Mediolanenses vi capiunt Laudem Pompeam, illiusque castrum evertunt. Multi ex Astensibus apud Bergolium infidias Civitati tendentes, captivi fiunt, carcerique mancipantur. Interim Alexandrini Manfredo Lanza Duce Montemferratum aggresso maximam prædam nanciscuntur. Interim Pacilianum, Turriculam, Conzanum, S. Georgium, Sarmatiam, Torcellum, Cuniolum, Pontem Cunioli, compluraque alia castra, & vicus vi, & armis occupant. At Marchio in has bellorum flammæ fœdus contrahit cum Ticinensibus. Alexandrini, & focii declarantur Romani imperii hostes, ni redderent Bonifacio ea, quæ bello occupassent. Quo anno etiam Federicus Imperator Apuliae apud Tarentinam urbem obiit, veneno sublatus, ut creditur, a Manfredo ejus filio naturali, dum præfecturam Tarentinam haberet.

MCCLVII. Dum adhuc inter Puteam, & Lanzavecchiam gentem renovantur discordiæ, Putea gens Alexandria recedit, alii ad Marchionem Lanzam se transferentes, pars Montemregalem, & Biellam petentes, alii vero Nicæam urbem in Gallia Narbonensi positam migrantes, ex quibus familiis multi viri supremi nominis demum prodierunt, ut in Vitis Clarorum Virorum referam; quo etiam anno Præturam regit Burazzolus Burrus Mediolanensis.

MCCLVIII. Johannes Beccaria Ticinensis, dum Præturam gereret, familia Lanzavecchiarum recedit Alexandria. Putei patriam repetunt, qui & paulo ante a militibus Papiensibus adjuti ceperunt plures Alexandrinos apud Derthonam.

MCCLX. Ugo Novariensis, & Episcopus Aquensis castrum Setebrii Alexandrinis hypothecavit libris octocentum Papiensibus intercedentibus, eo addito pacto, ut restituta pecunia memorata, Alexandrini restituerent castrum. Sed cum Episcopus manu armata illius restitutionem consecutus fuisset, Alexandrini idem aggressi iterum in potestatem suam redegerunt. Eodem anno calendis augusti Alexandrini cum Ticinensibus pacem fecerunt, omnesque injurias, & omnia illata invicem damna sibi condonantur. Non enim æquum existimabant hi populi, cum finitimi essent, odiis prope intestinis conten-